



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...**

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex  
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum  
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

**López, Luys**

**Lvgdvni, 1588**

De reliquis conditionibus necessarijs ad lucrum cessans, & singulariter an  
mutuans hic se possit sponte ad mutuandum offerre. Cap. LXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41259**

et à charitate, nec ab indigentia proximi supplenda.

*De reliquis conditionibus necessarijs ad lucrum cessans, & singulariter an mutuans hic se possit sponte ad mutuandum offerre.*

C A P. LXII.

Q 6. r.   
 Vonia prolixior hæc materia de lucro cessante est quã vt sub vno capitulo præstringi possit, ideo theorsum de reliquis conditionibus indagandum non est, an sint ad iustificãdam exactionem lucri cessantis necessaria. Ideo consequenter quæritur vtrũ ista secunda conditio, scilicet quod non sponte negotiator se offerat ad mutuandũ, vt de lucro cessante pacisci possit, sed quod rogatus & ad petitionem petentis mutuum id faciat sit necessaria, & quidem Sotus, & Nauarrus locis citatis tenent hanc conditionem impertinentẽ esse, scilicet quod ad petitionẽ mutuatarij mutuet an non, quia in alijs contractibus, vbi interuenit iustitia commutatiua, parum refert, quod contrahens faciat contractus rogatus, vel non, vt in venditione quæ sit iusto pretio parum refert quis rogatus, vel non rogatus vendat: quia vtroque modo venditio iusta erit, & re vera hæc ratio iuxta eorum sententiam persuadere videtur.

¶ Sed dico cum illis, quod hæc conditio non est semper vsquequaque necessaria, verbi gratia probabile esse videtur, quod qui re vera erat negotiaturus si magna necessitate pecuniæ vgeri, nec aliunde posse sibi subuenire aliquem inueniat proximum, possit se illi vltro offerre obuium & commotus misericordia illi dicere: scio te valde egere, nequeo tibi aliter subuenire: en tibi mutuabo pecuniam, qua pro sustentatione familiæ meæ negotiaturus eram & solues aliquid vltra quo meæ familiæ subueniam & tuis creditoribus: ne tua substantia subhastatione vendita deualetur inde soluer, quia dum à charitate moueatur & non principaliter à sua sola vtilitate ad id faciendum, refert parum an ipse rogatus mutuet, aut ipse in his familiaribus casibus indigentia grauis proximi, vbi videtur nullum aliud suppetere posse remedium se offerat. & licet hoc tolerabile sit: sed cauendum est maxime ab scandalo, & infamia, nã iste talis, quia vltro se obrulit, & nõ ad preces



preces indigentis, ideo in foro exteriori delatus ad iustitias usurarius reputetur, & ut talis subeat poenas, & ut apud videntes factum, & ignorantes animum, & alias constantias bonas iustificantes, scandalum in generet.

Q<sup>o</sup> 2.

¶ Deinde quaeritur de alia conditione qua hic situr, an sit necessaria, scilicet quod mutuans pecuniam, non habeat aliam pecuniam, qua negotiari possit. Dicitur ergo ex mente Nauarri, & Caietani, quod haec conditio necessaria est, quia si alia pecunia subesset mutuati, qua negotiari posset praeter eam, quam mutuauit, mutatio pecuniae, vel non solutio mutui, non esset causa amissionis lucri, quare secundum omnes requiritur quod mutatio, vel non solutio mutui, causa amissionis lucri sit.

¶ Si tamen aliam pecuniam habet qua posset quidem negotiari, sed mauult illam ad alios fines veluti ad futuras necessitates destinare, & reservare quam negotiationi committere, quia id opus prudentiae est: hoc non obstante potest de pecunia mutuata, qua negotiaturus erat recipere lucrum cessans.

¶ Quarta quoque conditio, scilicet ut sic ratione lucri cessantis accipiens aliquid ultra fortem, ad dandum ad usuram non sit assuetus, est conditio requisita in foro exteriori, quia alias si sic esset assuetus dare in tali foro praesumeretur voluntas exercendi usuras ex tali consuetudine. At tamen in foro conscientiae non procedit ista conditio in quo veritas praeualet praesumptioni. Et potest fieri ut usurarius aliquis in alijs casibus sit, & non in hoc casu lucri cessantis.

a cap. tu.  
de sponsal.

Q<sup>o</sup> 3.

¶ Praeterea quaeritur de quinta conditione, scilicet quod talis mutuans non accipiat lucrum cessans a principio cum mutuatur, an sit necessaria. Ad id ex mente Nauarri in commentario de usuris, & ex mente Metinae Complutensis respondetur, quod licet a principio auctore Caietano possit sic mutuans taxare quantum sit sibi respondendum pro lucro cessante, tamen non potest a principio illud lucrum cessans recipere, quia iam illa pars lucri cessantis a principio sibi soluta eximeretur a sorte pecuniae mutuatae, ac per consequens non possit tantum exigere pro lucro cessante.

¶ Imo



¶ Imò secundum Nauarrum <sup>b</sup> requiritur quod non <sup>b</sup> *Nauar*  
recipiat interesse prius, quàm constet: quòd verisimiliter *in Summa*  
lucratu fuisse quod in materia cambiorum videtur ho- *Lat. c. 17.*  
die statutum per extrauagantem Pij. 5. *num. 212.*

¶ Vnde videtur hic Nauarrus sententiam mutasse: quã  
tenebat cum Metina vbi dixerat quod ad paciscendum  
de lucro cessante requiritur spes probabilis in mutante  
de tali lucro, scilicet quod verisimiliter illud lucri adeptus  
fuisse ex negociatione si negociatus fuisse, vt in animo  
destinat, quæ conditio secundum omnes est necessaria  
& quæ hic habetur à nobis pro sexta conclusione & ne-  
cessaria. Attamen concesserant ambo Nauarrus, & Meti-  
na quod etiam si constasset postea quod talis paciscens  
de lucro cessante nihil esset lucraturus, quia sui locij cum  
quibus societatem negociationis erat initurus, per se ne-  
gionantes iacturam passi sunt & nõ lucrum adepti: nihil-  
ominus, quia probabilis fuit spes lucrandi, poterat id re-  
cuperare lucri, quia propterea non pactus est de integro  
lucro cessante, quia hæc spes poterat frustrari. Et quam-  
uis hoc apparens videatur, tutius est tenere cum Nauar-  
ro nunc mutante sententiam & sequente definitionem  
proprij motus Rij quinti vbi ait quod non recipiat lucrũ  
cessans mutuator prius quam constet quod verisimiliter  
lucratu fuisse, quia licet Pius quintus hoc in materia  
cambiorum statuerit, sed eadem ratio in materia de lu-  
cro cessante videtur militare.

¶ Deinde de illa quoque conditione septima opus est *Qd. 4.*  
scitu an sit necessaria scilicet quod nõ exigatur totum lu-  
crum cessans. Et quia de ea non multum ambigitur: ideo  
dicitur quod suffragantibus in hoc omnibus doctoribus,  
hec conditio necessariò est requisita, quia non est inte-  
gre repetendum, id quod est in potentia: & potest multi-  
pliciter impediri, quale est hoc lucrum cessans, sed arbi-  
trio boni viri debet, in minus de eo pacisci deductis labo-  
ribus, sumptibus, & periculis quæ alias negociando erant  
subeunda sed aliquid demere etiam debet, secundum cõ-  
munem contra Sotum, quia negociandi laboribus releua-  
tur. Et hoc est æquius vt pro hac releuatione à tali labo-  
re, aliquid demat, sed de damno emergenti planum est  
quod mutans pacisci possit.

¶ Imò  
II. Pars. F. L. Lopez instr. Consc.

B

¶ De



Q<sup>o</sup>. 5. ¶ De illa conditione octava an ad iuste paciscendum de lucro cessante requiratur quod petens mutuū non egeat extreme, proluxa disputatio nobis nunc in eūda erat contra Nauarrum dicentem hic quod hæc conditio non est necessaria, quia licet extreme egeat, sufficit ei mutua- re, sed quia iam de hoc satis supra concertauimus, istum teneto resolutionem, scilicet quod si extreme indigeat taliter quod in toto mundo non habet neque creditur in futurum habiturus, quia non est in potentia, vel caret arte, vel requisita valetudine ad acquirendum aliquid vnde soluat mutuū, tenetur negotiator pecuniam necessariam superfluentem ad naturam donantis donare, & non sufficit mutua- re. Quare in isto casu extreme necessitatis talis, ista conditio est necessaria, scilicet quod sic petens mutuū tali extrema necessitate non sit oppressus, quia alias illa laboranti tenetur donare, nihil de lucro cessante paciscendo, vel exigendo. Secus si sit necessitas extrema, quæ dicitur ab extrinseco, quando contingit in hoc loco extrema laborantem, in alio remotiori loco pluribus abundare diuitiis.

¶ Item nona conditione requiratur quod toto tempore mutui impediatur lucrum, quia si quis mutuū per biennium, aut triennium, & tātum primo anno erat negotiaturus, tantum pro illo primo anno reportaturus est lucrum cessans, & non pro aliis annis quibus non erat negotiaturus.

¶ Hinc sequitur quod qui cogitur soluere pœnam, vel interesse creditori suo, eò quod mutuatarius ad solutū sibi mutuū statuto die, vel ideo merces suas viliori pretio adactus est vendere, licet potest accipere à mutuatario, id quod sic soluit, aut passus est damnum, quia non accipit ratione mutui: sed ratione interesse damni emergentis secundum omnes, etiam si promissio de soluendo iurismodi damno non præcesserit.

*c. l. m. m. ff. de in lit. iur. & l. lu. l. in prin. ap. ff. de a. etio. & r. d. i.* ¶ Ex prædictis sequitur secundò corollariè, quod capere iuste nequeunt interesse lucri cessantis qui nolunt, vel non possunt negotiari nec res frugiferas emere, & mutuū pro interesse, nec etiam illi mercatores, qui certa pecuniæ summa negotiantur, & non maiori, & aliam quam habent, ad interesse mutuū, neque qui multas pecunias



pecunias in nūdas important, & emptis mercibus suo proprio sufficientibus, reliquas pecunias pro interesse mutant: quia nullum interesse verum prætere possunt. Ita Nauacrus qui pollicetur se dicturum postea an qui suas, vel aliorum grandes pecuniarum summas aliis, atque aliis tradunt in vnis nundinis soluendas in aliis cum aliquo lucro aliqua ratione defendi possint.

¶ Igitur ad argumenta in contra respondetur. Ad primum dicitur, quod quando inductus charitate mutuat quis licet voluntariè mutuet, potest pacisci de lucro cessante, quia non propria utilitas principaliter abstrahit eum à negotiatione, sed charitas, & indigentia proximi, cui non tenetur subuenire cum sua iactura.

¶ Ad secundum respondetur quod triticum terræ mādaturum, quia vt sic est frugiferum, vt sic potest dominus illud offerre sponte pro maiori pretio: sed pecunia etiam exposita negotiationi ex qua adhuc nō sunt emptæ merces frugiferæ per solam voluntariam abstractionem à negotiatione desinit esse frugifera. At voluntariè videtur abstrahere eam à negotiatione, qui non rogatus sponte eam offert ad mutuum idē non potest pro ea tunc exigere lucrum, sed cum rogatur videtur quod alias nisi rogaretur nollet abstrahere, nisi charitate ad id moueretur, vel ex indigentia proximi.

¶ An consuetudo recepta inter aliquos mercatores ratione lucris cessantis pluri vendentes ad creditum, quam de presenti eos possit excusare, & de pretiis rerum vendibilium etiam si sub habitatione vendantur.

C A P. LXIII.

I Am ex præcedenti quæstione de lucro cessante decisa, Q. 1. alia emergunt quæstiones & primum illa necessaria & facta dignissima, vtrum consuetudo inter multos mercatores recepta, sit licita, & tolerabilis, ex qua. v. g. soliti sunt vendere merces maiori pretio ad creditum, quam si vendant statim de presenti numerata pecunia, vt v. g. emptori statim soluenti vendunt talem mercem pro 10. quā ementi ad creditum vendunt pro 13. aut. 14. Et videtur quod hoc non sit omninò abominandum, quia alias durissimum